Lane Medical Library

DE

OVARIORUM MORBIS.

DISSERTATIO

INAUGURALIS PATHOLOGICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

UNIVERSITATE LITERARIA

FRIDERICA GUILELMA

UT SUMMI

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE XXIV. MENS. OCTOBRIS A. MDCCCXXXVIII.

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

ANTONIUS PAPPERT

AQUISGRANENSIS.

OPPONENTIBUS:

MICH. REY, MED. ET CHIR. DR.

AD. PFEFFER, MED. ET CHIR. DR.

JOS. RODERBURG, MED. ET CHIR. DD.

BEROLINI,

TYPIS FRIEDLAENDERIANIS.

AVUNCULO

OPTIMO, CARISSIMO

MATH. ANT. FRINGS

VERBI DIVINI MINISTRO.

AD CINERES USQUE COLENDO

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

PATHOLOGICA GENERALIA.

Ovaria, corpora in generationis historia nototu dignissima, jam ex primis fere saeculis, quibus anatomia tractabatur, cognita sunt, non autem ovariorum nomine, quo nos ea salutamus, sed testium muliebrium insignebantur. Sic Galenus [1]) ovaria testes muliebres vocavit. Harum partium structura, situs solitarius in cavo pelvis, nutritio propriis vasis effecta, involucrum fibrosum densissimumque permittunt, ut haec organa, sicut aliae corporis partes, primariis propriisque morbis afficiantur. Et varia in his feminarum partibus occurrunt vitia, quae plus minusve secundum rerum conditionem statum sanum corporis muliebris turbant, aut saltem aliquod ei detrimentum afferunt. Varia enim vitia sine notabili corporis detrimento in ovariis possunt existere, quae post mortem demum cultro anatomico deteguntur; varia autem graviora mala non solum statum sanum turbant, sed etiam, aliis incommodis conjuncta, nova adeo producunt. — Ovariorum autem textura spongiosa, vesiculis in-

---

1) De usu part. genit. mulieb. Lib. XIV. Cap. XII.

structa, peculiaris eorum functio, quando excitantur genitalia inter coitum et foecundationem, commercium cum quavis physiologica et pathologica systematis sexualis mutatione inter graviditatem partum pubertatemque incipientem, eximius nexus sympathicus animi cum toto systemate genitali, inprimis cum ovariis, vis denique magna, quam cessantibus mensibus aetas provecta praesertim in haec organa videtur exserere, efficiunt, ut ovaria morbis multis obnoxia sint, probantque sententiam Cari [1]), Sieboldii [2]) aliorum: nullum corporis humani organum tot morbis atque degenerationibus, quot ovaria, expositum esse. Conditiones morbosae harum partium videntur variis in corpore femineo causis latitantibus imputandae esse; et quam debile et quot variis morbis obnoxium muliebre corpus sit, neminem fugit. — Ut in quovis organo causas morborum duplicis indolis esse videmus, ita, si de ovariorum morbis agitur, causae et praedisponentes et occasionales distinguendae sunt. —

CAUSAE PRAEDISPONENTES.

Imprimis ex situ ipso ac structura ovariorum causa praedisponens redundare videtur. Nam in media pelvi posita plerumque cuti sola et, qui subest, panniculo adiposo obteguntur, qua re injuriis externis offendi possunt. De propria illa ova-

---

1) Lehrbuch der Gynaekologie. Lpg. 1828. Thl. 1. p. 396.

2) Handbuch zur Erkenntniss und Heilung der Frauenzimmer-Krankheiten. Bd. I. p. 486.

riorum ratione physiologica, quae ea tantopere ad degenerationes prona reddat, jam disserui. — Prima autem usque ad pubertatem aetate, qua ovaria paene omnino feriantur, iisque tantum vitae modo tribuitur, quantum ad ipsorum conservationem et evolutionem necessarium est, morbi eorum fere nunquam oriuntur; eo frequentius contra occurrunt illo temporis spatio, quod inter pubertatem atque involutionem intercedit, quo illa organa propriam quasi vitam sibi vindicare videntur. Primo quoque involutionis tempore, mensibus cessantibus, haud raro observantur, praecipue varii inflammationis exitus. — Praeterea ovariorum morbos, inprimis hydropem, sinistrum potissimum ovarium adgredi scimus, quamquam reliqui satis frequenter etiam in dextro sedem habent; cujus rei causam Carus in vi productiva, in latere sinistro omnino praevalente, ponit. Persaepe quoque graviditas, pressio uteri gravidi, abortus frequens, partus difficiles, laboriosi, frequentes et ex iis orta genitalium nimia debilitas, dispositionem inducunt. Praecipue his morbis corripiuntur mulieres fervidioris indolis, temperamenti sanguinei, quae teneram habent constitutionem, morbisque insuper cachecticis, praecipue chlorosi et scrofulosi, aut laboraverunt aut laborant. Indoles morbosa praesertim continua atque nimis praecoci coeundi cupiditate provocatur, quam ob causam prae omnibus misere amantes, matùre nuptae, foeminae juvenes cum maritis aetate provectioribus matrimonio junctae, viduae juvenes, praecipue si mature viro robusto et valido nuptae fuerunt, denique puellae

publicae, praecipue vitae ratione subito mutata, igitur, ut **Clarus**[1]) dicit, nominatim eae, quae propter morbum syphiliticum aut scabiosum cet. institutis clinicis traditae, aut ob alias causas in vincula conjectae sint, ovariorum morbis, praecipue oophoritide, infestantur; tum quoque virgines vetulae atque monachae[2]), quum mulieribus inimicissimum sit, si Venus, quoad naturae accommodata est, iis denegatur. — Praeterea morborum consensus, qui inter ovaria et alias corporis partes evidentissime exstat, minime negligendus est; de consensu enim partium genitalium et glandularum salivalium inter omnes auctores constat. Sic oophoritis per metastases exorta observata est, et quidem per metastasin lacteam in puerperis, nec non post parotitidem, ubi inflammatio, sicut viris ad testes, ita mulieribus ad ovaria aut ad mammas transfertur. — In ovariis, ut in omnibus organis, morbo graviori superato saepissime propensio quaedam ad morbum recidivum restitat.

CAUSAE OCCASIONALES.

Quaecunque in ovaria vim aliquam morbosam exserere possunt, huc referenda sunt. Quorum alia directe ovaria ipsa aggrediuntur, quibus adnumerari debent laesiones mechanicae, pressio uteri gravidi, aut tumorum, aut hypertrophicorum organorum

---

1) In den Annalen des klinischen Instituts zu Leipzig. Bd. I. Abth. 2. §. 194. Leipzig 1812.

2) Morgagni de sedibus et caussis morborum etc. Venetiis 1762. Epist. XXXIX. Art. 39.

vicinorum; exempla innotuerunt, quibus inflammatio aut alia degeneratio ovariorum ictu vel lapsu vehementiori, regionem ovariorum petente, exorta erat; quo ille casus numerandus est, quem P. Frank[1]) narrat, mulieri, equo dejectae, oophoritidem chronicam, indeque hydropem ovarii supervenisse referens. Alia, quum ceteras partes genitales irritent, partim directe partim per consensum afficiunt ovaria, quo pertinent morbi plurimi partium finitimarum, inter quos reliquis praecellunt peritonitis, metritis, phlebitis uterina, inflammatio tubarum Fallopii aut intestini recti, peritonitis puerperarum; nam R. Lee[2]) inter sectiones quadraginta quinque, post peritonitidem puerperarum institutas, in triginta et duabus ovaria simul correpta invenit. — Inter causas organicas earum ratio habenda est, quae congestiones sanguinis ad genitalia, et hinc ad ovaria excitare possunt; quaecunque enim res noxiae feriunt systema sexuale, in ovaria potissimum propter dignitatem iis tribuendam maximam agant necesse est. Hunc locum tenent: menstruatio aliquo modo turbata, suppressa, in stadio involutionis cessans, lochiorum anomaliae, remedia drastica, emmenagoga, abortiva, irritatio partium genitalium pessariis male constructis, injectiones valde irritantes, balnea nimis calida, frequentius repetita, vita sedentaria, abusus spirituosorum et ciborum nimis aromaticorum, foculorum usus nimius, equi-

---

1) De cur hom. morbis par. 8. §. 261.

2) Researches on the Pathology and Treatment of some of the most important Diseases of Women. by R. Lee. London 1833.

tatio; neque minus manstupratio, coitus nimius, et si nulla inde sequatur conceptio, coitus inter graviditatem, aut menstruationis tempore, coitus sine seminis ejaculatione, vita nimis solitaria, lectio librorum, qui de rebus libidinosis agunt, alia. — Praeterea etiam adnotandum mihi videtur, multas res a medicis peritissimis saepe inter causas ovariorum morborum enumerari, quae num revera culpandae sint, valde dubito. Huc pertinent omnia, quae in totum potius organismum, quam in systema genitale agunt, uti secretionum, haemorrhoidum, diarrhoeae, sudoris suppressio, efflorescentiae cutaneae repulsae, refrigeria, alia. Quum enim multi ovariorum morbi tam exiguas et nonnunquam fere nullas totius organismi reactiones excitent, ipsiusque valetudo parum tantum iis laedatur, nisi ovarium degeneratum aliquo modo ceterorum organorum functiones turbet, recte colligere mihi videor, universi quoque organismi mutationes exignam exserere in ovaria vim, nisi vitae illius conditio penitus illis pervertatur; imo etiam hoc directe eo comprobatur, quod omnia remedia, quae suscepta in sanguinis circulationem tantum agunt, contra ovariorum morbos aut exiguum aut nullum fere fructum praestant. De aliis medicorum sententiae discrepant, utrum pro causis, an pro effectibus illorum morborum habenda sint, uti de hysteria, nymphomania, mensium turbatione, sterilitate; mihi quidem utrumque locum habere posse videtur. — Omnes autem scriptores consentiunt, causas psychicas ad provocandos ovariorum morbos maximi esse momenti, quod colligere jam licet, si

perpendas, quantam vim animus inter coitum omnio in partes genitales exserat praecipue in ovaria, cum inter coitum fertilem foecundationis processus animi tantum conditione efficiatur. Quem ad gradum illa animi, aut potius phantasiae vis, etiam extra coitum evehi possit, ex eo concludere possumus, quod secundum Sabatier[1]), Valisnieri, Home aliorumque observationem interdum in virginibus, quae nunquam cum viro commercium habuerunt, corpora lutea inveniuntur. Et nonne viris, qui imaginibus libidinosis tentantur, interdum semen ejaculatur? — Omnes igitur affectus psychici libidinosi, sexualis systematis excitationem efficientes, praecipue si coeundi cupiditati non indulgeatur, et praedispositionem et morbum ipsum provocare possunt. — Musice et imaginationes libidinosae amorem excitantes, nimius coeundi appetitus, permagna salacitas inter coitum, coitus frequenter et quavis vice summa cum libidine repetitus, huc numeranda sunt; quod respicientes intelligere possumus, cur ovariorum morbi secundum auctorum opinionem in puellis publicis rarius occurrant; nam coitus frequens per se minus, quam cum ardore exercitus, nocet; libidinem autem illis minorem esse, interdumque fere nullam, e conditione, qua vivunt remque tractant, facile est intellectu. Sed cum vero congruit, quod Clarus aliique observaverunt: ovariorum morbos in puellis publicis tum facillime exoriri, cum aliquam ob causam subito a coitus exercitio excludantur. — Valde perniciosa mulieribus coeundi cupiditas denegata evadit, quam ob

1) Traité complet d'anatomie Tom. II. §. 409. seq.

rem tam saepe apud monachas virgines vetulas, viduas, mulieres cum atresia vulvae, ovariorum degenerationes reperiuntur. Haec omnia multo inimiciora redduntur, si alii affectus animi deprimentes, aut excitantes accedunt, ut tristitia, stomachus, desperatio, quibus sub conditionibus secundum affectuum qualitatem vel melancholia, mania, vel nymphomania oriri potest. — Omnia autem haec momenta allata non omnino per se, sed plerumque tantum, multis simul agentibus ovariisque jam libidinibus sexualibus irritatis, ovariorum morbos provocare solent. —

DIAGNOSIS.

Difficillima vero est variorum ovarii morborum diagnosis; nam, ut antea adnotavimus, quaedam vitia harum partium post mortem tantummodo deteguntur, alia, si morbus jam increvit, cum probabilitate suspicamur, alia denique praesentiam suam ita dissimulare solent, ut medicus, isque peritissimus, saepissime ea distinguere nequeat. Praeterea quum, quod satis constat, in cunctis mulierum morbis, ob sensibilitatem in sexu muliebri praevalentem, symptomata, quae ex turbatione systematis nervorum oriri solent, omnino excellant, hoc de morbis ovariorum cum systemate sensifero communicantium majore etiam gradu valere, facile est intellectu. Igitur functiones animi commutatae his in morbis maximae sunt dignitatis; sicut autem animus in mulieribus diversis et singulis est variabilis, sic quoque morbus morbique variabilis. — Ad certam diagnosin eruendam igitur res praeteritae, vita, mores, animi conditiones, educatio, maxime sunt re-

spicienda, quae saepe, quum symptomata praesentia morbum dubium sistant, diagnosin certam reddere possunt. — Regio iliaca et dextra et sinistra, in spatio medio inter ramum horizontalem ossis pubis et cristam ossis ilium superiorem accurate pertentanda est, num in illa calor adauctus, aut dolor, aut tumor adsit, num tumor mobilis an fixus et, ut P. Frank[1]) dicit, quasi cuneo detrusus inveniatur, facillime perspicuus, si aegrota, cruribus ad abdomen adductis, situm supinum obtinet. — Idem extremo digito, aegrota aut supina cubante, aut stante, abdominis integumenta loco supra descripto sensim sensimque introrsum promovens, si corpus durum, attamen elasticum et a peritonaeo paulo remotum tangeret, hoc signum diagnosticum certum esse contendit; praeterea perscrutationem manualem per rectum atque vaginam, aegrota aut in genua procumbente, aut supino copore jacente, commendat.

Loivenhardt[1]) explorationem per rectum, quum ovarium dolorificum atque tumefactum sentiatur, unicum signum certum ad diagnosin jam constitutam firmandam, exhibere dicit. Situs quoque perscrutandi causa mutandus est, nam situ laterali saepe molestiae aegrotae augentur. Tum videndum est, num regio iliaca tensa sit, an percussio adhibita ibidem sonum clarum aut obtusum, minus resonantem edat, et num stethoscopio adhibito in illa regione motus sic dicti peristaltici iutestinorum au-

---

1) l. c. §. 746.

1) Diagnostisch-praktische Abhandlung aus dem Gebiete der Medizin und Chirurgie. Prenzlau 1835 Thl. 1. §. 301.

diantur nec ne. Praeterea animi affectiones observandae sunt, num magna turbatio psychica, propensio ad iram, anxietas insolita, magna tristitia, amor solitudinis, instinctus sexualis adauctus, phantasia libidinosa sit. — Distinguendi autem sunt morbi ovariorum a morbis vesicae, uteri, tubarum Fallopii, peritonaei, intestini recti; doloris autem et tumoris sedes secundum organorum situm differt, de quibus plura in descriptione singulorum ovarii morborum apponam. —

PATHOLOGICA SPECIALIA.

Irritatio.

Irritamenta aut externa sunt, aut interna. a)Externa: omnia, quae congestiones sanguinis ad genitalia excitare possunt, praecipue remedia abortiva, drastica et omnia supra jam commemorata. b) Interna: vermes in panniculo adiposo ovarium circumdante ,aut foetus in graviditate extrauterina, morbi uteri, vaginae, intestini recti. Ad diagnosin stabiliendam conferunt, cognitio horum irritamentorum, tum sensus injucundi, raro autem, nisi alius morbus accedat, dolor incertus in regione iliaca; instinctus sexualis adauctus, phantasia maxime libidinosa; saepe manstupratio. Irritamentis diutius durantibus, irritabilitatem adauctam haud raro inflammationem ciere potest.

Irritabilitas adaucta.

Regio iliaca lateris affecti sensum tensionis et doloris obtusi offert, rubore ac tumore prorsus deficiente; dolor magis, minusve gravis, pressione non augescens, interdum extenditur ad regionem

lumbalem et femur lateris affecti; saepe dolor subito apparet. — Instinctus sexualis semper adauctus et phantasia admodum libidinosa, quamobrem saepissime aegrae manstuprationibus indulgent; coeundi cupiditatem semper adauctam et saepe maximam esse, ex Ill. Nasse praeceptore meritissimo, me audiise memini, in inflammatione mera autem nunquam adauctam et plerumque nullam. Saepe conjuncta est irritab. adaucta cum oophoritide, de qua postea, tum quoque cum nymphomania aut mania puerperali. Illa Cari[1] aliorumque sententia nymphomaniam potius symptoma, quam proprium morbum habendam esse, causamque proximam nymphomaniae in ovariorum morbo cerni, verisimillima mihi videtur. Nam saepe numero illa signa, exaltationes libidinosae, manstupratio, nymphomaniam constituentia in ovariorum morbis, praecipue in irritab. adaucta, cernuntur. Si in aliis nymphomaniae insultibus nullus ovariorum morbus observatus est, hoc facile ex illo aegrotae statu, quo symptomata psychica summopere eminent, igitur localia saepe parvi aestimantur, aut omnino praetermittuntur, praesertim, quum multi ovariorum morbi exigua tantum symptomata sic dicta objectiva offerant, explicari potest.

Praeterea adhuc respicienda sunt haecce: a) et causae praedisponentes et occasionales, quae saepissime nymphomaniam provocare traduntur, omnino fere cum iis consentiunt, quae irritab. adauctam, aut alium ovariorum morbum inducere solent. b) Eadem remedia, quae illum morbum mitigant

1) l. c. §. 196—99.

vel tolluut, ut menstruationis retentae profluvium, leucorrhoea et alia, saepe etiam repulisse nymphomaniam, observatum est. c) Si perpendimus, quantam vim phantasia libidinosa, exaltationes sexuales in ovaria exserant, vix existimari potest, ovarium, primariam instinctus sexualis sedem, in nymphomania integrum manere posse. — Imprimis igitur irritabilitati adauctae nymphomania adjungi potest, tum praecipue, si simul alia pathemata animi graviora in mulieres nimis sensibiles agunt. —

Irritabilitas diminuta.

Saepissime inflammationem protractam sequitur et facile in degenerationem abit. Quibus autem symptomatibus hic morbus cognoscatur, nescio, tantummodo suspicari eam licet apud mulieres steriles quae nullam coeundi cupiditatem sentiunt. Saepe conjuncta est Irritab. diminuta cum atrophia ovariorum, de qua infra.

Inflammatio sive oophoritis.

a) Oophoritis mera. Saepissime eam occurrere dicit Mad. Boivin[1]), quae eam saepius observavit et bene descripsit, apud puerperas, aut recens nuptas, aut viduas, interdum apud puellas publicas. Quum fere semper alterutrum ovariorum modo inflammatum sit, signa afferenda ad unum spectant.

Symptomata localia: Dolor minor majorve in regione ovarii, initio circumscriptus, postea autem inflammatione progressa, totum per hypogastrium dimanans. Secundum Lee (l. c.) dolor e fossa

1) Traité prâtique des maladies de l'uterus et de ses annexes Tom. I. pag. 134.

iliaca ad regionem lumbalem, ad rectum, aut femora se extendit et pressione adhibita, praecipue in partibus lateralibus invenitur. Dolor secundum Loivenhardt aut magis superficialis, supra arcum ossium pubis, vehemens, pungens, tactu subitaque corporis erectione augescens, si peritonaeum ex parte simul affectum est, aut magis in interiore pelvi sentitur, obtusus, premens, pulsans, si substantia inflammata est. — Secundum Naumann dolor initio cum sensu caloris, et tanquam, corpus alienum ibi haereat, conjunctus est, et morbo progrediente semper peritonitis circumscripta exstat — Calor regionis iliacae adauctus, tactu sensibilis interdum observatur. Si regio iliaca premitur, resistentia adaucta et saepissime, praesertim in aegrotis macie laborantibus, in loco supra descripto tumor distincte circumscriptus durusque deprehenditur, nucis juglandis magnitudinem adaequans. Percussio adhibita ibidem secundum Stegehaus[1]) sonum fuscum minus resonantem exhibet. Exploratio per rectum et vaginam ovarium lateris affecti tumefactum et dolorificum indicat, vaginam ipsam siccam et fervidam; interdum ut Seymour[2]) dicit, unum alterumve labium pudendi tumefactum est, et aegrae in latus affectum decumbere nequeunt.

Sympt. consensualia. Ob ovariorum exiguum cum reliquo organismo consensum febris interdum omnino deficit, raro synochae gravioris, fere semper mitioris indolem praebet, potiusque charac-

1) De oophoritide diss. Berolini 1837.
2) Illustr. of some of the principal diseases of the ovaria London 1830.

terem erethismi typumque remittentem offert, atque signa systematis reproductivi laesione inducta plerumque omnino desiderantur. Interdum deliria, plerumque praetereuntia, sunt observata, saepe convulsionibus finiuntur et cum vehementissimis artuum inferiorum motibus nonnunquam se conjungunt. Nunquam autem in hac inflammatione instinctum sexualem adauctum nullamque coeundi cupiditatem adesse dicit Mad. Boivin l. c. Oophoritis saepissime conjuncta est cum morbis aliorum organorum, nam primaria ad morbos rarissimos pertinet et plerumque hanc jam nounulli oophoritidis lentae (chronicae) impetus antecesserunt. Saepe autem ooph. secundaria ex inflammatione partium propinquarum orta occurrit, quamobrem plerumque sedem habet in velamentis ovarium circumdantibus et praeterea symptomata partium primitus inflammatarum simul cernuntur. —

b) Oophoritis cum irrritabilitate adaucta conjuncta. Clarus l. c. praeclaram hujus morbi descriptionem appossuit. Praeter symptomata antea commemorata, hoc in casu multo magis exquisita, haecce quoque respicienda sunt: Clarus, palma manus regionem inguinalem aut hypogastrium premens, peculiarem se animadvertisse faciei distorsionem spasticam, contendit. Habitus et physiognomia peculiaris est: oculi longe patentes, languide splendentes, pavide huc illuc deflexi; vultus velut culpae gravissimae index, interdum lenis risus faciem deformans et ingratus.

Magna turbatio psychica, hilaritas effrenata excipit summam tristitiam; nunc propensio ad iram

paulo post anxietas insolita et pavor. Instinctus sexualis valde adauctus, initio saepe amor solitudinis, manstupratio, postea interdum summus nymphomaniae gradus, maxima impudicitia, ita, ut partes genitales nudent et quemque ad coitum invitent. Deliria furibunda cum vehementissimis artuum motibus se conjungunt. Virorum adspectus, praecipue pulchrorum, haecce symptomata auget. Febris ipsius symptomata magna inconstantia atque mutabilitate excellunt. — Corporis temperies plus minusve adaucta, pulsus frequens, variabilis, nunc magnus, plenus, durus, nunc parvus duriusculus, spasticus; alvus saepe obstructa, urina parca, rubra. Clarus multique alii ex urina, excretione alvi nil, quod alicujus momenti sit, neque alia digestionis, seu omnino systematis reproductivi, functionis laesae signa observaverunt et anomalias hujus generis potius per affectionem localem ortas esse dicunt. Quum enim ovarium tumefactum nervos prope decurrentes illasque partes propinquas premat, sicut saepe dolor et stuporis femoris lateris affecti sensus, sic etiam obstructio alvi vel mictus frequens oritur. Praeterea secundum Sobernheim[1] si inflammatio ex illa parte peritonaei, quae ovarium inflammatum investit, antrorsum aut retrorsum propagatur, illic vesica urinaria, hic rectnm simul afficitur, quam ob rem et mingendi desiderium frequens, stranguria, ischuria, obstructio alvi, imo adeo tenesmus observantur. Multi praeterea ut signum constans motus continuos femorum observaverunt, quae morbo ad majorem gradum evecto, mag

1) Praktische Diagnostik. Berlin 1837 §. 238.

na cum vehementia flecterentur et extenderentur; alii autem inter quos Loiwenhardt, haec signa, e sensibilitate turbata oriunda, adesse omnino dubitant. Haec symptomata nervosa constantissima adsunt, si morbus causis psychicis originem debet. —

c) Oophoritis chronica. Non solum multo frequentior est, quam acuta, sed etiam cum symptomatibus obscurioribus decurrit. Praeterquam quod multa ejus symptomata tantopere cum illis, in inflammatione partium prope sitarnm se ostendentibus, ut in metritide, inflammatione tubarum, peritonitide partiali, psoitide, nec non interdum cum iis hysteriae congruunt; neque in diversis corporibus et vicibus, neque in singulari morbi decursu constantia sunt. Symptomata localia in universum eadem, quae in oophor. acuta, sed mitiora sunt: dolor obtusus, trahens, gravitatis sensum prae se ferens, plus minusve continuus, vehementibus corporis motibus, pressa ovarii regione, et inter coitum augescit, vel tunc tantum sentitur. Saepissime femur lateris affecti petit, ibique stuporis sensum motumque difficilem efficit. Loiwenhardt dicit, hanc femoris affectionem tum praecipue adaugeri, cum aegrota pedis calcem humo imponat, quam ob rem morbo accrescente extremo pede inter incedendum utatur, magis pedi lateris integri innitens. — Tumor si adest, eodem modo, quo supra descripsi sentitur et frequenter signis, quae ejus pressione in partes propinquas proferuntur, se manifestat. Quum plerumque sub morbi longinquo decursu uterus simul afficiatur, mensium turbatio saepe obser-

vatur. Ex altera parte menses magnam vim in morbi decursum et intensitatem exserunt, eique aliquid periodici tribuunt, ita, ut sub mensium profluvio morbus exacerbetur atque interdum febricula eum comitetur, quo tempore, si aliae etiam injuriae simul efficaciam exhibent, facile in oophoritidem acutam transire potest. Post mensium fluxum symptomata mitiora redduntur. Species illa, quam Schönlein [1]) sub nomine oophoritidis cruentae, seu haemorrhagicae descripsit, quae majore dolore juxta ligamentorum uteri rotundorum decursum vehementibus uteri haemorrhagiis indeque anaemiae exortae signis maniferstetur, potius critica judicatio quam morbi ipsius varietas, illaque haemorrhagia nil nisi menstruatio retenta atque profusa esse videtur. Plerumque, secundum Naumann res ita se habet, ut menstruationis difficultatibus adauctis morbi exacerbatio oriatur, quae mensibus largius fluentibus solvitur.

Fere semper sine ulla febre ooph. chronica occurrit; interdum autem illa sensibilitatis adauctae et turbatae signa non desiderantur, imo saepe maximum assequuntur gradum, plerumque autem peculiaris sunt indolis, et admodum illa hysteriae aliorumque systematis nervosi morborum symptomata nervosa aemulantur. Constantissime illam comitantur ooph. chronicam, quae causis psychicis excitatur; quae quum sensim sensimque nascatur magisque ovarium internum et vesiculas sic dictas Graafianas infestet, symptomata localia fere nulla, aut incerta et ambigua prodit. Facillime igitur non dignoscitur, ita

1) Handbuch der Pathologie und Therapie 1837. Thl. I.

ut saepe e morbis demum secundariis per eam productis, ut hydrope aliisque degenerationibus perniciosissimis, illam exstitisse intelligamus. Oophoritis autem chronica, acutam secuta, magis membranas ovarium circumdantes aggreditur saepeque cum peritonitide chronica circumscripta, inflammatione tubarum conjuncta, signa clariora prae se fert, ejusque diagnosis ex antecedentibus facilius eruitur.

Suppuratio.

Inflammatione neglecta, aut curatione perperam instituta, facile suppuratio, inflammationis exitus maxime timendus, exoritur, quae eo facilius adducitur, quod aegrotae valde debiles viresque consumtae sunt. Num praecipue in puerperio hic inflammttionis exitus appareat, inter viros doctissimos non constat. Haecce sunt symptomata hujus conditionis periculosae; febris eo usque vehementissima et omnia phaenomena inflammatoria remittunt, quamquam crisis nulla evenit, pedis lateris affecti motus impeditus, horripilationes et frigoris sensus incipiunt. Agrotae, antea dolore acerbo vexatae, nunc modo de sensu quodam gravitatis molestae et frigoris in regione ovariorum queruntur; paulatim febris lenta incipit, accessiones binas singulis diebus faciens. Nasse dicit, initio suppurationis pulsum saepe modo quinquaginta quinque ictus habere. Dum febris urget, calor vehemens in palma manus, rubor genarum quasi circumscriptus, sequuntur, sudor viscosus erumpit, urina turbida, cum sedimento interdum purulento, secernitur, oedema femorum labiorumque pudendi majorum apparet atque aegrotae in dies tabescunt. Sic aegrae, viribus consumtis,

per longum tempus morbo gravissimo cruciatae, mortem occumbunt. Interdum observatum est, pus viam per membranas finitimas usque ad integumenta externa sibi patefecisse, atque hydropem, qui purulentus vocatur, procreasse; nonnunquam etiam pus, integumenta abdominis perrumpens, vel ex vagina, vesica urinaria, intestino recto effluens, aegrotae salutem reddit. Loiwenhardt casum observavit, in quo pus viam infra ligamentum Poupartii sibi patefaciens infiltrationem circa femur provocavit et aegra sanitatem recepit. Cum vesica urinaria ovarii commercium observavit Andral[1]), cum utero Romberg[2]). Saepe quoque suppuratio oritur in ovariis, quin inflammatio adeo vehemens sese prodiderit, totaque organa in saccos mutet, ingentis nonnunquam magnitudinis. Sic Taylor[3]) ovarium se observasse affirmat, suppuratione in saccum commutatum adeo amplum, ut totum abdominis cavum impleret, pondusque ejus septemdecim aequaret libras. Difficillimum est, suppurationem dignoscere, nisi inflammationis signa manifeste praegressa sint, quapropter etiam pro dolor! crebro accidit, ut sectiones praebent, medicos errasse; cujus rei Seymour l. c. mentionem facit, hunc casum memoratu dignissimum afferens; „puella quaedam, septemdecim annos nata, cujus menses nondum fluxerant, de insomniis et de diarrhoea vehemente,

1) Grundriss der pathologischen Anat, übers. von Becker. Leipzig 1830. Th. 2. S. 406.

2) Romberg in Casper's Wochenschrift für die prakt. Heilk. 1833 No. 7. S. 135.

3) Taylor in: North-American medical and surgical journal 1826.

multo cum vomitu conjuncta, questa est. Laboravit macie permagna, pulsus frequentissimus, debilis lingua rubra splendida fuit. Medici, intestinorum morbum suspicantes, omnia medicamenta frustra adhibuerunt. Aegrota, quum fere duos menses in clinico versata esset, subito de dolore acerbissimo in abdomine questa, mox vita decessit. Secto cadavere, magna puris copia in cavitate abdominis reperiebatur, quae abscessui rupto, in ovario dextro sito, ortum debebat.

Induratio.

Inflammatione praegressa, ovarium ad ambitum fere normalem redactum durum percipitur. Cutis illud obtegens non decolor, cum ovario ipso non concreta, huc illud moveri potest. Dolor nullus sentitur, nisi sensum ingratum, trahentem, qui interdum percipi dicitur, huc referendum censeas. Saepissime cum induratione conjuncta est concretio ovariorum cum variis partibus vicinis; frequentissimae vero, quae occurrunt, ovariorum coalitiones sunt eae, quae cum tubis Fallopianis observantur, multo rarius occurrunt immediatae cum ipso utero. Illa, si in utroque latere facta est, saepe causam praebet sterilitatis[1]). Ovariorum quidem degeneratorum adhaesiones cum plurimis abdominis visceribus frequentissimae sunt, et Walter[2]) observavit, in puellis publicis ovaria saepissime cum partibus vicinis connata reperiri.

Gangraena.

Sicuti omnibus inflammationibus certis sub con-

1) Sam. Gottl. Vogel. Handb. der prakt. Arzneiwissenschaft. Stendal 1795. Th. 4. S. 434.

2) Betrachtungen über die Geburtstheile. Berlin 1776.

ditionibus sphacelus finem imponere potest, sic etiam hoc de ovariorum inflammationibus valet. Observarunt sphacelum in ovariis Riverius[1]), Schenkius[2]), alii. Cum aegrota dolore vehementissimo et febre ingente vexatur, neque brevi symptomata decrescunt, jam secundo vel tertio morbi die gangraena timenda est, cujus symptomata haec sunt: subito dolor aliaque inflammationis signa evanescunt, accessio frigoris oritur, pulsus frequens, parvus, vibrans, intermittens, sedes involuntariae, tremunt membra, vires labefiunt, syncope, frigus membrorum inferiorum, delirium, lingua sicca, facies hippocratia, aegra mortem occumbit. Post mortem oedema et maculae lividae nigrae in hypochondriis observantur. —

Atrophia.

Solent in vetulis et in sterilibus ovaria marcescere. Sic descripsit Motz[3]) ovaria, quae ita compressa erant atque plana, ut membranam mediocriter crassam ovariorum locum occupasse crederes. Sic in vetula strigosissima et in tenuem quasi laminam depressa ovaria vidit Morgagni[4]). Idem in quibusdam aliis feminis sterilibus strigosa conspexit; arida etiam, exsicca atque exilia in vetulis invenit, id quod Ruyschius[5]) quoque observavit. Tantummodo suspicari licet hunc morbum in foeminis sterilibus, quae nunquam coeundi cupiditatem

1) Bonneti sepulchretum. Genevrae 1679. fol. lib. III. sect. 33. §. 8. p. 1330.
2) Ibidem lib. III. sect 11. obs. 56.
3) De stuctura usu et morbis ovariorum diss. Jena 1789. Sect. III. §. 5.
4) l. c. epist. LVI. art. 17.
5) Ruysch obs. anat. XLV. p. 60.

sentiunt, aliis partium genitalium vitiis deficientibus.

Hypertrophia.

Quum omnino, ovariorum aegrotationes perdifficiles cognitu sint, multo minus variae degenerationum species quod ad diagnosin dilucidari possunt. Quodsi enim, ut de morbo aliquo ovariorum praesente certiores redderemus, contigit, nihil aliud quidquam consequi amplius possumus, quam ut cognoscamus, utrum fluidi alicujus accumulatione, an solidae materiae luxuriatione, tumor apparens exortus sit. Quamobrem ii medici, qui in describendis ovariorum degenerationibus praxin potissimum spectant, recte hypertrophiam tantum et hydropem distinguere solent. Sed harum quoque specierum diagnosin tunc demum constituere licet, cum ad certam quandam magnitudinem tumor pervenit, quare illarum symptomata simul enarrare aptissimum mihi videtur, eaque deinde, quae utriusque speciei diagnosin nos edocere possint, adjungere; quin etiam eam obrem hoc praestat, quod conjunctae plerumque illae occurrunt. — Prima symptomata ex ovariorum morbis proficiscentia ad suspicionem magis eorum movendam, quam ad evidentiam largiendam idonea sunt. Conqueruntur aegrotae de sensu quodam gravitatis, oppressionisque molesto, de dolore obtuso, premente in intima pelvi et in uno alterove latere, ibidem de dolore trahente, lacerante, ad crura usque descendente, periodico. Sed paulatim sensibus quoque nostris symptomata, ad diagnosin eruendam aptiora, sese offerunt. Apparet enim supra ramum horizontalem ossis pubis lateris affecti tumor, magnitudine nucis jugulandis, interdum ovi gallinacei, aut planus

aut saepe tuberosus, mobilis adhuc; inde, mutato corporis situ, sensus corporis alicujus ab altero latere ad alterum decidentis, postea autem, facta conglutinatione, immobilis. Uterus ovario pressus ita vertitur, ut portio vaginalis ad latus in quo tumor fundus autem ad contrarium vergat. — Exploratione obstetricia, qua haec signa percipiuntur, ovarii quoque tumor, mobilis plerumque, sentitur. Praeterea torpor, sensus gravitatis, inertia pedis ejusdem lateris, postea tumor et interdum oedema labiorum pudendi; mammae saepe dolentes intumescunt. Ceterum cachexia aegrotae nulla adhuc perspicua, habitus mali anomalique nihil prodit, secretiones bene procedunt, appetitus haud diminutus. Sensim sensimque per menses, per annos, tumor increscit eamque non raro magnitudinem obtinet, ut totum abdominis cavum expleat atque ad enormem extendat ambitum. Jam symptomata vehementiora et valetudinem haud parum turbantia non desunt. Apparent dolores trahentes periodici in loco affecto, flatus frequentes, alvi obstructio, anorexia, vomituritio, vomitus, urinae excretio ob tumoris pressionem saepe difficilis, menstruatio aut sublata ejusque loco leucorrhoea, (quo quidem in casu incrementum tumoris periodice adauctum animadvertitur) aut nimis profusa et frequens. Mammarum tumor si forte aderat, jamjam evanescit, eique succedit flacciditas. — Aegrota animo est tristi, demisso, moroso, imo melancholico, hystericis affectionibus obnoxia. Ubi ad tantum gradum malum increvit, alii quoque secundarii accedunt morbi: indurationes et intumescentiae hepatis, lienis, pancre-

atis, ascites, hydrothorax, hydrops universalis, asthma, suisque symptomatibus aegrotam infestant. De hypertrophia autem ovariorum addendum adhuc mihi videtur, sine alia ulla degeneratione vix umquam eam occurrere.

Hydrops.

Tumores fluidum continentes hydropem ovariorum sistunt. Hydrops duplici modo ovarium occupat; aut enim totum ovarium in unnm convertitur saccum, aut pluribus, plane discretis, fluidum continetur. Interdum majorum tumorum interno lateri affixi sunt minores innumeri, interna tantum majorum tunica obteeti; ita Andral[1]) narrat, semper fere saccos se distributos vidisse, ut anteriorem ovarii partem magnus unus saccus occupaverit, posteriori insederint plurimi minores. De hydrope autem ovariorum libero, cum non cavum unicum in iis insit, cogitari nequit, semperque sacci alicujus formatione opus est. Conjunctus est ovariorum hydrops frequentissime cum aliis varii generis degenerationibus, secuudarieque ex his saepe oriri videtur, sed nonnunquam sine alio ullo vitio occurrit. — Symptomata omnia sub hypertrophia enarrata huc quoque pertinent, et cum tumor ad certam quandam magnitudinem pervenit, tum hydrops ab hypertrophia et fluctuatione diagnoscendus est et symptomatibus illis hydropsiis communibus, quae tamen, cum in omni hydrope saccato, tum in hac specie admodum exigua sunt; sacci autem parietibus induratis, fibrosis, osseis, valdeque crassis, vix ullo modo cognosci potest fluidi accumulatio.

1) l. c. Th. 2. S. 408.

Ab ascite hydrops ovarii ita discernitur, origo et decursus longe alius, abdominis intumescentia haud ubique aequalis, sed ab uno tantum latere ordiens; fluctuatio, ut in omnibus hydropsiis saccatis, exigua et valde obscura, percussionis signa, sonus nimirum vix percipiendus, in ascite secundum aegrotantis situm diversam extensionem habent, quippe illo mutato etiam altitudo aquae superficiei mutetur; contra in ovarii hydrope, quaecunque accipiatur positio, eadem semper manent; incommoda universalia hydropicas affectiones plerumque comitantia multo serius aegrotas adgrediuntur, menstruationis autem turbationes multo constantiores, remediorum diureticorum atqne purgantium nullus fere effectus. — Graviditatis similitudinem tumor ovarii destructi tunc inprimis referre potest, cum nondum multum processit. Ad diagnosin autem constituendam, quae sequuntur, accommodata sunt: tumor ovarii ex uno alterove latere exit, inaequalior est, quam qui ab utero gravido proficiscitur, tardius multo increscit, nullus persentitur foetus motus a tumoris fluctuatione facile distinguendus. Mammarum intumescentia aut nulla, aut irregulsris et mox evanescens, postea earum flacciditas; portionis vaginalis mutationes in graviditate vulgares omnino desunt; molestiae initio minores, postea increscentes; in graviditate omnia haec contraria. Nihilominus maximis plerumque difficultatibus diagnosis premitur. Sitns tumoris non semper tam certus et unus idemque; dolor non omnibus in casibus in uno tantum latere; abdominis intumescentia tam aequalis interdum est, ut facile eam pro ascite in-

cipiente habeas; formam figuramque exhibet tam irregularem nonnunquam, ut aliorum abdominis viscerum vitia suspicari possis. Ita Andral (l. c.) feminam observavit, tumore abdominis duplici laborantem, quorum alter pro ovarii dextri degeneratione habebatur, alter ex hepatis lobi sinistri, aut lienis induratione et intumescentia videbatur proficisci. Sectione autem post mortem instituta, tumor inventus est ovarii dextri ad hypochondrium sinistrum usque extensus, qui ex partibus duabus, pedunculo tantum angusto et perduro cohaerentibus, constabat. — Contentum saccorum diversissimum est; serum, materia lactea, puriformis, gelatinosa, sebacea, sanguis aut fluidus aut coagulatus etc. atque secundum hanc materiae contentae diversitatem modo hydrops saccatus, modo atheroma, meliceris, lipoma etc. nominatur.

Scirrhus et carcinoma.

Horum plurima scriptores exempla afferunt, haud tamen auctore Meckel[1]) dubitandum est, quin formationes cartilagineas et osseas pro scirrho plurimis in casibus habuerint. Scirrhus verus et carcinoma raro tantum, primarie saltem, in ovariis nascuntur; cujus rei notatu dignissimae causam Meckel in mira illa ovariorum ad productiones normalibus corporis telis similes proclivitate collocat; aliter autem res se habet si, ab utero ordiens, ad illa scirrhosa destructio propagatur. Symptomata haec sunt: ovarium affectum partim, aut totum per circuitum parum tumefactum, duritiem lapideam praebet, superficies inaequalis ac sa-

1) Handbuch der pathol. Anat. Leipzig 1818. Bd. 2. Abthl. 2. S. 363.

lebrosa sentitur. Cutis, qua tegitur, tensa, cum ovario coaluit; ovarium ipsum moveri nequit: degeneratio organa vicina implicare molitur. Aegrota queritur de dolore aut perpetuo urente, aut intermittente, tumorem vehementer quasi perstringente, quem medici lancinantem nominant. Malum longius per tempus protractum, habitu cachectico demum perfecto, magis magisque perspicue manifestatur. Exorto cancro aperto, symptomata teterrima omne dubium quod ad diaonosin fugant.

Fungus medullaris et haematodes.

Rarissime tantum his ovaria obnoxia sunt; attamen Baillie, Wardrop, Burns destructa illis ovaria descripserunt. Fungus et in ovario ipso oriri et ex partibus vicinis procedens ad ovarium transgredi potest. Dum tumor parvum ambitum tenet, difficulter a tumoribus aliis supra descriptis dignoscitur, attamen ubi circuitum majorem obtinuit, praeter illum dolorem proprium lancinantem cetera symptomata hujus mali satis nota diagnosin faciliorem reddunt. Saepissime ruptura fungi et ovarii exitum lethiferum inducit; talem casum descripsit Romberg[1]).

Steatoma et Sarcoma.

Horum in ovariis formatio vix rarior est, quam tumorum cysticorum; plerumque autem sub nomine scirrhorum, indurationum, hypertrophiae, describuntur. Tumor primo sensim assurgit, molestiam nullam excitans; tactui mollitiem propriam, quasi fluctuantem, offert, in superficie inaequali glomeruli singuli dignoscuntur, qui haud duri interdum facile comprimi possunt. Ad magnitudinem tamen quandam evectus tumor raptim increscere solet, et ambitum ingentem nan-

1) l. c. No. 7. S. 136.

cisci potest; jam molestias excitat pressione sola, quum dolor verus nunquam adsit. Post longius breviusve tempus fluidi alicujus effusio adducitur. Plerumque hujus generis destructiones ossificationis quoque initium sistunt. Degenerationes hujus indolis descripserunt Meckel et Motz (l. c.), fusius de hac re Ameke[1]) disseruit.

Corpora aliena in ovariis reperta.

Frequentissime in ovariis inveniuntur ossa, cartilagenes, pili, dentes, pigmenta varia. Observavit Le Clerc[2]) in cadavere feminae sexaginta annorum ovarium dextrum magnae molis, induratum passimque ossificatum; materiam continebat puriformem. Moleculae osseae pedunculo ovariis adhaerentes haud raro, praesertim apud puellas publicas, occurrunt. Frequentissime autem teste Meckel ovula Graafiana et ipsa ad ossificationem vergunt et tunicam induunt osseam. — Pili aut singuli inveniuntur et inordinate dispositi, aut in fasciculos coacervati; longitudo variat a pollicibus paucis ad pedes plures, nec minus color diversus, fuscus, flavus, niger, haud semper idem, qui capitis pilorum. Meckelio auctore semper sunt radicibus ornati, sive materiae sebaceae, sive membranae alicui insident. — Rarior est dentium in ovariis praesentia, semperque pili simul reperiuntur. Aut libere in ovarii sparsi jacent, aut corporibus osseis vel cartilagineis, omnino plerumque organica forma carentibus infixi observantur. Uberrimum exemplorum huc pertinentium

---

1) Diss. de ovariorum degenerationibus earumque signis et causis. Berolini 1834.

2) Rouz Journ. de medicin. T. 12. p. 530.

numerum invenies apud Dreyssig [1]), Otto [2]), Meckel [3]). — Interdum quoque in adipe ovarium cingente polystoma pinguecula invenitur; tum omnia irritationis symptomata antea nominata adsunt. — Praeterea adhuc notandum est, interdum post coitum foecundum non in utero, sed in ovario ipso foetum oriri; portio vaginalis atque mammae initio mutantur. Heim peculiarem faciei habitum et clamorem ejulantem observavit; semper autem post aliquot menses ruptura ovarii tumefacti mors inducitur. —

Prolapsus ovarii.

Singularem ejusmadi casum refert Ruyschius [4]) Chirurgus quidam incautus, abscessum in parte hypogastrii inferiori et laterali phlebotomo magno aperturus, inepta manu instrumentum suum improvide tam profunde adegit, ut in abdominis cavum usque penetraret, quo facto, simul cum pure unum ex ovariis prorupit. Advocatus est Ruyschius exploravitque rem et in cavitatem caute rursus reposuit, quo facto nihil amplius damni aegrotae accidit. —

---

1) Handbuch der Pathol. der chr. Krankheiten. Th. 2. S. 502 u. 503.
2) Pathol. Anat.
3) Ueber regelwidrige Haar- und Zahnbildungen in dessen deutschem Archiv für d. Physiolog. Bd. Heft 4. S. 519 — 588.
4) Observat anatom. p. 22. obs. 17. conferri praeterea meretur Ludwig. Anat. Pathol. p. 85.

VITA.

Ego Antonius Pappert, anno h. s. decimo tertio Aquisgrani natus sum, patre Michaele, quem proh dolor! mihi ante XII annos acerba mors eripuit, matre Agnes, e gente Frings, bona adhuc valetudine gaudente, fidei catholicae addictis, quam et ego confiteor. Primis literarum elementis imbutus anno h. s. XXVI gymnasium Aquisgranense adii, quod per octo annos frequentavi; anno XXXIV h. s. tempore autumnali, testimonio maturitatis munitus, almam universitatem Rhenanam adii, Rectore t. t. magnifico Ill. Naeke in civium academicorum numerum receptus, atque apud decanum t. t. spectabilem facultatis medicae Ill. Bischoff nomen professus sum.

Per tres annos et dimidium ibi commoratus hisce interfui praelectionibus: de logice et psychologia Ill. v. Calker, de physice beat. a Münchow, de chemia experimentali, de phytochemia et zoochemia Ill. Bischoff, de botanice generali Ill. Treviranus, de zoologia et zootomia Ill. Goldfuss, de mineralogia Ill. Noeggerath. De encyclopaedia et methodologia medica, de pathologia tum generali tum speciali, nec non de semiotice, de materia medica et de arte formulas concinnandi, de morbis syphiliticis dignoscendis et curandis Ill. Albers. Anatomiam tam generalem quam specialem mihi exposuerunt Ill. Mayer et Ill. Weber, qui et ipsi in cadaveribus secandis moderatores mihi fuerunt; physiologiam Dr. Windischmann; therapiam generalem et specialem, morbos psychicos et anthropologiam Ill. Nasse; diaeteticen et magnetismum animalem Ill. Ennemoser; ana-

tomiam chirurgicam, chirurgiam, akiurgiam et doctrinam de fasciis rite applicandis Ill. Wutzer, artem obstetriciam, nec non doctrinam de instrumentis obstetriciis et de ossibus fractis et luxatis, de morbis mulierum et infantum Ill. Kilian. Praeterea duces mihi fuerunt in clinico medico per annum Ill. Nasse, in clinico chirurgico per annum Ill. Wutzer, in clinico obstetricio per annum et in exercitationibus in phantomate instituendis Ill. Kilian. —

Tempore paschali hujus anni civibus universitatis literariae Fridericae Guilelmae adscriptus a Rectore Magnifico Ill. Boeckh, Decano maxime spectabili Ill. Wagner nomen dedi, quem per semestre aestivum de medicina forensi disserentem audivi. Praeterea scholis clinicis medicis Cel. Wolff, ophthalmiatricis Ill. Juengken, policlinico medico-chirurgico Cel. Truestedt interfui. Quibus viris pro summis, quae in me contulerunt, meritis maximas gratias et habeo et in aeternum habebo.

Jam vero tentaminibus, et philosophico et medico, nec non examine rigoroso absolutis, fore spero, ut dissertatione adnexisque thesibus publice defensis, gradus doctoris medicinae et chirurgiae in me conferatur.

THESES.

1) Effectus medicaminum nunquam mere dynamicus.

2) Apoplexia est morbus chronicus.

3) In curandis ovariorum morbis remedia interna magni momenti habenda non sunt.

4) In cutis eflorescentiis non figura eruptionis, sed cutis conditio maximi est facienda.

5) Versio in caput non instituenda est, nisi secundum methodum Wiegandianam.

6) Forceps non modo mechanice, sed etiam dynamice agit.

7) In inflammatione vis vitalis est diminuta.

53(15)